EPISTOLA
DE
PEDE EMORTUO
AD
NOBILISS: AMPLISS: EXCELLENTISS: & EXPERIENTISS:

DN. PAULUM AMMANNUM,
PHIL. & MED. D. ANATOM. & CHIRURG: IN ACADEM: LIPSIENS: P. P. FACULTAT. MED. ASSESSOREM, COLLEG: B. VIRG: MARIÆ COLLEGIAT: ac VICE-PRÆPOSITUM, & S.R.J. ACAD: NAT: CURIOSORUM COLLEG.

Scripta
a
JOH. CHRISTOPHORO ETNER,
Phil: & Med: D.
d. 20. Novembr. Anno 1684.

THORUNII imprimebat CHRISTIANUS BEKK, *Gymn. Typ.*

QVot Vir Excellentissime calamitatibus Genus Humanum sit obnoxium, dies diem docet. Mutatione planè diversa e regione viventium ad mortis portum ducimur: Hic considerando aliorum damna improvisa, attonitus momentaneo horrore concutitur, obliviscitur a. cum tela aliis immissa spectatorem minus vulnerent. Ille propria nocumenta adspiciens, sentiens, obstupescit, contristatur, cumq; Jobo aliqvando exclamat: Qvare misero data est lux, & vita his, qvi in amaritudine animæ sunt. Qvo demum magis dolor ferit, eò firmius alta mente reponitur. Sic Vir admodum Reverendus singulari pietate & vitæ integritate clarus, Dnus MICHAEL RINGELTAUB. Neopol: Thorun: Ecclesiastes fidelissimus affligebatur, telis cum fortuitis peteretur. Anno enim 1674. d. 9. Martii morsus catuli rabidi dilectissimam filiolam decimum agentem annum è vivis rapiebat. Anno 1685. d. 18. Junii ejusdem ætatis filius dilectus ludos adspiciens, latere ex ædibus (DEO constante) decidente morti traditur. Tristitia jam finem cum sumsisse crederetur, cum Reverendus Vir Filiæ natu primi thori maximæ, ante annum morti ob summam hystericam afflictionem vicinæ, nuptias daret. Ecce! paucas septimanas post, sagitta lethi mortifera emittitur, tangitq; Filium secundi thori primum charissimum, Jacobum, Adolescentem qvindecim annorum, pietati & obedientiæ addictissimum. Hic JACOBUS

RINGELTAUB Constitutionis Phlegmaticæ, ad hecticam proclivis, ribes comedit, hinc 22. Junii currentis hujus anni 1684. Scholâ exiens, prope domum cadit, mox in Vomitum incidit, & nauseam incongruam patitur. Subvenit Physicus Ord: Excell: Dnus. Joachimus Friese, Med. D. medicamentis calidis Stomachicis tam internis qvam externis: Vomitus usq; ad mediæ noctis horam perdurans subsistit, seqventibus diebus nullum amplius sensit gravamen; d. 28. Junii horis pomeridianis in atrio ædium circumiens, lassitudinem pedum percipit, subinde a. canem in cella latrantem audit, intrat, canem expulsurus, vix superiora attingens, secretioraq; reponere nisus, intolerabilibus passionibus dextro in pede corripitur, miserè clamitans lecto committitur, linteis calidis fricatur & obvolvitur, post horam exurgit, ast morbus conflictans, pedem casu qvasi momentaneo occupat, insensibilemq; reddit, exsurgitq; sangvinis spumosi exspuitio. Supra dictus Medicus pedem Aqvâ Anhaltinâ fricari jussit, uti qvoq; vino adusto sinapi permixto utuntur. Hora octava vespertina & ego rogatus venio, pedem adspicio jam penitus emortuum, digiti in apicibus nigri erant, & livor universum pedem ab extremo digito usq; ad dimidium dimidii femoris infestabat, sensus genutenus erat abolitus. Hinc τὸ θεῖον videns, ad fluxum sangvinis spumosi curam applico, qvi etiam altera die sistebatur, supra pedem a. emortuum pro excitando calorem internum, polentam tritam calefactam intra lintea poni jubeo: ast incassum. Calor exterius qvidem ab adstantibus percipiebatur, color etiam lividus ex parte recedebat, ast patiens noster nec calorem nec sensationem ullam animadvertebat. d. 29. Junii Fomentationes omnibus Chirurgis

rurgis in Gangræna & Sphacelo uſitatas ſvadeo, neq; hæc aliqvid effecerunt. d. 1. Julii advocantur Barbitonſores & Chirurgi Dnus. Petrus Pulſz, Dnus. Antonius Schliemann, & Dnus. Georgius Fridericus Heid, Priores duo aſſurgentes ad Sphacelum irruunt, proferentes: Moram enecaſſe puerum, neceſſe ut morbi initium adfuerit', ſub ſpecie fortaſſe Eryſipelatis Gangrænam adfuiſſe, hanc ſphacelum excepiſſe, ſpatio 24. horarum ægrum moriturum, cum tamen nullum ſphaceli ſignum, nec Circulum, nec ſtrias viderent. Ultimus, Chirurgus qvondam in Polonia & Muſcovia bellicus, tacet, inq; meam ſententiam iens, digitum divinum huic caſui ſubeſſe proferebat, & licet ſphacelum ſic ſignatum nunqvam vidiſſet, attamen pedem ex cauſa ſibi incognita & per vitam non viſa repente mortuum eſſe. Scarificationes ut facerent propono, probarentq;, an ullum ſangvinem protuberantem videre poſſent: Illi pede multis in locis perforato, venis tranſſectis nullum ſangvinem qvam coagulatum invenientes obticent. Hora tertia poſtmeridiana ejusdem diei vocatur Conſultiſſimus ac Excellentiſſimus Dn. Wenceslaus Duroſz, Phil: & M. D. Conſul & Phyſicus hujus civitatis Primarius, pedem adſpiciens: Sphacelus, inqvit, adeſt, nulla ſpe amplius relicta. Venit dies morti deſtinatus d. 2. Julii nec circulus, nec ſtriæ videbantur, elabuntur 24. horæ termino dedicatæ, patiens præter pedem ſæviter dolentem ſibi vivit proſpicuus. Præſentibus Matronis oppidi primariis, prognoſticis & meum adjicio. Qvæ inqvam primo pedis intuitu dixi, iterum jam dico, experiemini die Mercurii illum altiora petere, erat autem à morbo irruente octavus, anteqvam n. putredo ſe non prodat, ſphacelusq; morti præcurrat

&

& ipsum sic enecet, non morietur; Interim Chirurgorum locumtenentes medicamenta externa sphacelum prohibentia ast incassum applicant, d. 4. Julii Nostrum adolescentem visitat Dn. Antonius Stattländer/ Tonsor & Chirurgus, sua de hoc affectu proferens: spasmum pedi inesse qvàm judiciosè extollit. Qværenti Excellentissimo Dn. Danieli Blankio Phil. & Med. D. Medico Experientissimo, An unqvam ejusmodi casum animadvertisset? se jam senem 67. annorum nunqvam vidisse! respondit: Maxime! Plures patientes curationi meæ hoc in passu se subjecerunt, (internas n. curas externis commiscet) aliqvot curati aliqvot vero mortui sunt. d. 5. Julii hora secunda postmeridiana visito ægrotantem, more consveto invenio, pulsum tango, maxime instabilem percipio, in pede sano sinistro nullum persentisco pulsum, olfactu a. odorem putridum cadaverosum sentio: Dominum Parentem adhortor, putredinem jam adesse, & ut ad summa genitum provideret, vitæ terminum ultra noctem & alterum diem non duraturum. d. 6. Julii hora tertia matutina & sic nono incipiente die fato cessit.

Affectum hunc summopere admirandum & rarum à sangvine coagulato provenisse puto: Imprimis cum pituita tempore præterito hyemali ferociori, hinc inde qvasi congelata, æstate iterum rarefacta, sangvini sensim & sensim se immisceret, ob aciditatem advenientem in fermentationem (instar affusionis acidi ad alcali) redacta, exitum qværeret, violentumqʒ per vomitum causaret. Postqvam v. ejusdem â sangvine separatio per sudorifera, vel evacuatio per inferiora laxantia, qvo minus iterum vomitu profligato, pituita ex medicamentis calidis magis fluxilis reddita, sangvini denuo se

immiſcere potuiſſet, intermiſſa vel potius neglecta fuiſſet, eò magis pituita ſangvini ſe immiſcens, ſimul cum hoc circulationi ſe ſubmiſit, tenacioremq; effecit, Tandem cum qvisq; conſveto more fervore æſtatis urgente, præprimis juvenes incauti, gelida ingurgitant, nocti frigidæ refrigerii gratia ſe exponunt. Hoc itaq; refrigerium coagulationem iterum minitans, (qvum nil pituitâ frigidâ citius congeleſcat) primo adhuc diſſipata corporis ſtuporem produxit. Natura ſupervacanea expellere provida, Fluidum: ſangvinem nempe ſpumoſum per pulmones impetuoſè emittit, Craſſum autem: pituitam ſangvini permixtam, nullum alium locum inveniens, eodem impetu ad pedem dextrum cum Gas ſuo ſylveſtre protrudit, ac ſic uno qvaſi momento vaſa minora obſtruuntur, ſangvis coagulatur, & humiditas neceſſaria expellitur. De iſta coagulatione Chifletius venas meſeraicas in Hectica ſangvine craſſo & concreto tumuiſſe refert, qvi e majoribus venis corallii inſtar nigri cohærens extrahebatur; & Fernelius lib. 6. Phyſ. cap. 7. ex rara qvadam & abdita morbi cauſa qvempiam poſt diuturnum langvorem de vita exiiſſe, cui ſangvis univerſus in venis concreverat adeo, ut demum corallii modo fruticans inde eximeretur, & Cl. Bartholinus naturæ luſum in Epiſt. Med. 31. Cent. 4 p. m. 197. ſic enarrat: Obſtetrix noſtra junior imprægnationis ſuæ certum indicium exinde deſumit, qvando pedes nigricant, ad diem partus ille dolor permanet, poſtea ſenſim naturalis color & facies in pedibus redit, cauſa ſine dubio in venis iſto tempore obſtructis qværenda. Qvod & ipſe in conjuge mea ante triennium in ambobus pedibus expertus ſum, ceſſita, nigrities & livor poſt ſolitas fumigationes.

Pituitam vero ſangvini abundanter & ſuperfluè ſe immiſcere. Borellus Hiſt. 28. Cent. 2. Ægrum inqvit juvenem vidi, cuius ſangvis in vaſculis cryſtallinus ſemper remanſit, & adeo diaphanus, ut fundum vaſculi ſemper videri poſſit, qvod ego autem à pituita vitrea in maſſa ſangvinis ejus dominante proveniſſe puto. &c. Rarum verò ſeqvens exemplum ſeſe mihi Glogoviæ praxin exercenti obtulit. Virgo 17. annorum Anna Maria Setgen Gregarii filia Anno 1680. d. 8. Julii menſium obſtructione cum vomitu laborabat, vomitorium exhibeo, vomitus ceſſant, tertium diem poſt ſaphenas ſecari jubeo, non ſangvis ſed materia inſtar ſeri lactis, qvæ nil aliud qvam pituita in ſangvine regnans, prodit, inq; aqva coagulabatur, exitum autem largum permiſi; die qvarto menſes licet diſcolorati, redeunt, aliaq; Symptomata remittunt, meoq; abſceſſu ſana & bene colorata vixit, cum antea cachectica incederet: Qvis aliam hic cauſam niſi immixtionem pituitæ ſangvini adfuiſſe ſentiat.

Sphacelus in caſu noſtro propoſitus, in principio ſtatim adeſſe neqviverit, nunqvam n. utraq; forma eidem materiæ ſemel ſimulq; præeſſe poteſt. Sangvis n. ſic coagulatus à calore nativo tam cito ad ſuppurationem redigi non poteſt, ſenſim a. ſangvis formam amittit, & tunc putredinem admittit.

Affectus vero hic curatu fuit impoſſibilis ac nunqvam credo in actum talem morbum deductum, unqvam fuiſſe curatum, neq; ullatenus curari poſſe, ab uno enim extremo ad alterum regreſſus haut datur, & tam repentina ac ſumma coagulatio & concretio pro incurabili habenda.

Exurgit

Exurgit a. Qvæstio: Ubinam demum morbus hæserit, cur per vices se non patefecerit? Respondeo; Se qvidem exposuisse, ast vel Adolescentem non tanti æstimavisse, vel neç viâ tritâ tempore oportuno cum morbus adhuc in vasis majoribus lateret, propter timorem forsan vel hæsitationem expulsum fuisse. Verum n. vero cum Fortunato Fideli de Relat. Medicorum hunc casum sic concludo: Fieri potest, ut aliqvando principiũ (morbi) diu lateat in corpore, atq; interea salubriter homo degere videatur, qvi tamen vitio illo sese repentè prodeunte, mox etiam intereat, ut aliqvis à veneno assumto interiisse videtur, cum tamen interno corruerit vitio. Hæc paucula itaq; Excellentissime Vir gratiosè suscipe, Vale, Faveq;.

TUO

Thorunii d. 20. Nov.
Anno 1684

Addictissimo

Johanni Christophoro Etner. D.